

1706.

1. Carocius, Georgius Alolphus : De conjunctione diversorum in Summa territoriorum
2. Gundersen, Henning Christoph : De usu rei legatae
3. Peltorius, Thamer Philippus : De jure lassus in causa religiosis exercitij.
4. Schackius, Thamer : De probacione criminis meipis.

1707.

1. Caro, Georg Alolph : Dissertatio academica pro Melpiano in Carpathium : de feminis numerum publicorum incapabili.
2. Carocius, Georgius Alolphus : De dominio publico ab omnibus et iure imperio diverso..
3. Gundersen, Henning Christoph : Quae et quando causa criminalis preferenda cinti?

1707

Y. Mayerus, Fridericus: Tr. Georg. Dorothei. Dissertatio.
De ordinazione ecclesiastice ministrorum

1708.

1. Corri, Georg Joseph: De usq; iuris naturalis in statu
lenti & rep. practice.

2. Gersdorff, Henricus Christophorus: De appignatione feudi.

3. Helwigius, Christoph: De antinomia, circuata, et prisa
magis Fabiae I. Silviro.

4. Maserarius, Petrus: Examen paupertatis canticis.

5. Maserarius, Petrus: De remediis solitariis

6. Pettenius, Dr. Philippus: Programma, quo
de coniugii honorario resort et ad eundem celebra-
ja virginis portas sacrae ... cohortatae.

7. Schactius, Jakob: De appignatione rei alienae.

1708

8. Schacklinus, Johannes: De affirmatione contractuum
unilateraliuum.

9. Schallkopff, Jacobus: Utram leges fundamentales
proprie et modis leges sint?

1709.

1. Gundersen, Henricus Christoph: De sacramentis paternis.

2. Schacklinus, Johannes: In adaptatis nomen et familiam
patris adaptantis consequatur?

3. Schacklinus, Johannes: De iure circa pestem

1710

1. Gundersen, Philippus Bultharus: De iuramento in
litteris affectionis

2. Gundersen, Henricus Christoph: De reconvictione
in criminibus.

3. Grätz, Nicolaus: Disputationis historica - politica, in qua
presumptio mutationis statu Comanicorum post fata Carolina

gram exminatus et refutatur.

1711.
J. Schackius, Johes : De sancto tempore Quadragesim
1711.

J. Schackius, Johes : De convenientia et inconvenientia
Pacificationis majoris cum Banco Imperiali
in genere.

1713.

1. Hennigius, Christophorus : De fuligine.

1715

Gordes, Phil. Barth : Index nonnullarum errorum
doctrinarum ex Dr. Thomae fundam. ius. nat.
et gent. magna ex parte selectarum

1718.

Gordesius, Philippus Balckherus : Dissertation ius. mu-
nitionis, ceteris normis chordinum iudicium
controversias fideles in Germania et patria Pomerania

174.

Gordes, Philippus Balthasar: De iuribus xenodochiorum
etiam praecipue circa successione in locis ingressorum.

1729.

Gordes, Philippus Balthasar: De paucis haere-
tiorum

2. Mayeras, Ioh. Abrahamus: De curatione ulcerum
rebellium.

3. Meyer, Ioh. Abraham: Ad Disputationem med. chir. mag.
De curatione ulcerum rebellium & Dr. Ioh. Fausti
Prugero. . . pro abhinc dies annuis ea arte
med. horumque . . . habentem . . . invitat.

B 172.

3.
1715 28
INDEX
NONNULLARUM ERRONEA-
RUM DOCTRINARUM

EX
DOMINI THOMASII
FUNDAM. JUR. NAT.
ET GENT.
MAGNA EX PARTE SELECTARUM.

QVEM
PRÆS IDE
PHIL. BALTH. GERDES,
JUR. LIC. ET REGIÆ GRYPH. ACAD. PROF. HI-
STOR. ET MORAL. ORDIN.

PUBLICO EXAMINI PROPONIT
IN
AUDITORIO MAJORI
AD D. XI. APRIL. ANNO MDCCXV,
H. C.

RESPONDENS
JOHANN JACOB ALMER,
CANDID. MINIST. EXAM.



GRYPHISWALDIE,
TYPIS CAROLI HOEPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

2

For more information about the study, please contact Dr. Michael J. Hwang at (319) 356-4530 or via email at mhwang@uiowa.edu.

A decorative floral ornament at the top of the page, featuring a stylized flower with long, sweeping petals and small leaves.

A decorative woodcut-style illustration of two tulip flowers and their leaves, enclosed in a rectangular border.

ter
ptu
tati
min
den
lia p
unt
den
um
sæp
hac
thu
c^o
rejic
ræ
rit
tis



Proemium.

Philosophiam Practicam sobrie esse tractan-
dam, ne ratiocinando humano ingenio
divina pervertantur oracula, jure Theologi
postulant. Sed aberrantii, qui corruptæ
rationi plus justo tribuentes, ultra sapere
volunt, ac Sacra Scriptura permittit. Hinc
notæ sunt, quæ frequentes Theologos in-
ter & qui rationi nimium indulgentes se Normæ Sacrae Scri-
pturæ alligare nolunt, lites exarsere, quæ nec nostris æ-
statibus desieré. Dominus Buddeus in hoc studii genere ne-
minā secundus in suis Elementis Philosophiae Practicæ, & qui-
dem in ea parte, quæ Jurisprudentia Universalis vocatur, ta-
lia principia posuit, quæ cum Sacra Scriptura facile conveni-
unt, ac ideo tueo Studioſæ juventuti commendari posse vi-
dentur. Sed Dominus Thomasius, cuius singulare ingeni-
um merito quisque suspicit, nisi quod simul doleat, eo ipsum
ſepiuſ imperniſiem diſcentium uti, qui æque in emendanda
hac Disciplina ſudavit, ſua corruptæ naturæ totus deditus, co-
thuno versatilior in ſuis exſtitit principiis. Mox enim prin-
cipia ponit, eaque fervide defendit, mox eadem peſſime
rejicit & nova edit monſtra. Modo Normam Sacrae Scriptu-
ræ ſe ſequi ſimulat, modo candem irreverenter apertè deſerit & ſuam doctrinam paſſum erroneous & ſcandalofis affer-
tis maculat. Realis de Vienna vero nomine Gabriel Wagner mu-
tabilem

A

tabilem

tabilem & varium Dominum Thomasium per octodecim principales vicissitudines sicut in der Prüfung des Versuchs vom Weißen und Geist p. m. 62. Dominus Thomasius sibi iphi in hac sua inconstans placeat, alit tamen & forte plures, (ut loquitur Herius, JCus dum vixit consummatissimus, in Epistola Dissertationi de distinctione inter Paragia & Apanagia subiecta) id acciperent in signum animi parum firmi parumque solidi ingenii in minimis fluctuantur & ad nova queq[ue] qualiacunq[ue] se obtulerunt, saltem ut Mundi Cymbalum audias, pruriens &c. Lubenter cum Herio volem hoc candorem in illo interpretari. Verum plures multorum errorum Thomasium insinularunt, sic Atheistica scriptorum Thomasianorum, item Thomasium portentosum editit Christianus Roth/ item Realis de Vienna all. tr. errores plurimos Thomasio ostendere allaboravit, ut alias innumeros silentio involvam, qui idem tentarunt. Valde verosimile est, inter omnes imputatos errores unum ad minimum revera fuisse. Sed ne unicum unquam Thomasius, monstrantibus aliis agnovit, ast ubi nova portenta protrudenda sunt, ipse quidem se in pejus corrigere, sequi erroris arguere ingenue præstis. Num vero hoc candide magis quam animo novaturi- endi sit factum, a me impetrare nequeo; ut prius credam. Præcipue vero Thomasius inconstantia sue luculentum dedit documentum in Fundamentis Jur. Nat. & Gentium, quæ anno 1705. in publicum emisit. Nam in his Jurisprudentiam suam Divinam toties quoties mutavit & quidem, si emendatus, laudandus esset, nunc vero, cum deterius, nil nisi omnium eruditorum finistrum judicium sequi potuit. Atque hæc Fundamenta J. N. & G. me præcipue permovere ad scribendam præsentem Dissertationem, ea unice intentione, quo alii & iu præsertim, qui cœco præjudicio quavis Thomasii hypotheses amplecti solent, ex proponendis per indicem dogmatibus, quorum errores in oculos ultro incurvant, addiscant, quale toti sapientiae Thomasianæ pretium sit ponendum, quo intellecto, sua sponte ejus inconstanter & erroneam doctrinam, quam in Fundam. J. N. & G. pandit; deserent & nobis cum damnabunt.

§. I.

DISSERTATIO

§. I.

Jus Naturæ non esse Legem proprie sic dictam, quatenus jussum Superioris denotat, sed saltem consilium, inter dogmata Thomasiana damnanda tanquam mater plurimorum errorum merito primo loco hic ex Fundam. Jur. Nat. & Gent. L. I. C. V. §. 34. & seqq. à nobis ponitur. Huic sententiae jam præluserat in Observ. Hall. 27. Tom. VI. cui hanc ob rem Antecessor meus Job. Phil. Paltenius Dissertationem: *An Leges Naturales sint strictè & propriè leges* opposuit, in qua absurditatem hujus hypotheseos præter alias contradictiones & errores, qui in dicta observ. continentur, sat dilucide demonstravit. Nilminus vero post hæc in editis Fundam. J. N. & G. denuo & quidem larius hypothesis persecutus est, eique regulas suas iusti, honesti, decori superstruxit. Jam ante Thomasum Hobbesius in Tr. de Cive c. 3. §. fin. *Jus Naturæ*, quatenus a natura procedit, proprie Leges esse negavit, sed quatenus eadem in Sacra Scripturala sunt, saltem Legum Nomina propriissime venire afferuit, cuius dudum rejectam sententiam (vid. Cumberland in Dùquis. de Leg. Nat. & Cocquius in Anatom. Hobbesianismi) Thomasius refuscitavit suamq; fecit, novum ei induens habitum. Verum qui *Jus Naturæ* consilium saltem esse astruit, ille simul revera existentiam Juris Naturæ negat. Consilii enim essentia & natura est, non ut quem obliget, sed cui datur, liberam permittat facultatem sequendi illud vel rejiciendi. Vid. Pufend. de J. N. & G. L. I. C. VI. §. 1. & communiter omnes DD. Ipse Thomasius in Jurispr. Div. L. I. C. VIII. §. 29. Lit. e hæc verba habet, *Consilium nunquam obligat etiam si, cui datum fuerit, assensum prabuerit.* Quare cum Thomasius nunc Legem Naturalem pro consilio modo habet, homini, negata obligatione ex Lege Naturali, liberam relinquit potestatem, quod morale est vel sequendi vel omittendi, quæ vero hypothesis proxime viam ad Atheismum sternit. Qui enim Legem DEI hominibus inditam tollit, ne idem notitiam DEI Autoris Legis Naturæ, æque cordibus humannis innatam, in dubium vocet, maxime verendum est. Interim *Jus Naturæ* esse Legem sive voluntatem supremi DEI

A 2

Legis.

Legislatoris hominibus sequendam significatam sicut certum est, ita ex ostensa absurditate eorum, quæ Thomasum in contrarium egerunt, clarius elucebit.

§. II.

Erroneum est fundamentum, quod Thomasius ad promulgandum Jus Naturæ esse Consilium non Legem his verbis Libr. I.c. 5. §. 40. & 41. all. tr. ponit: *Sapiens DEUM magis ut doctorem Juris Naturæ quam Legislatorem concipit immo si conciperet, sibi Imperantem, magis ut patrem quam Dominum, quia DEI perfectioni repugnat, suam querere utilitatem, ut Leges ex Natura sua Imperantur.* Ex his suppositis Jus Naturæ esse Consilium non Legem concludit. Absurditatem horam omnium jam demonstravit Dr. Palterius in all. Diff. Nos paucis ex nostra mente magis declarabimus. Nec 1.) Dominus Thomasius insipiens fuit, ubi Deum in Jurisprudentia Divina ut Legislatorem sibi concepit, aut nunc solus erit sapiens, cum Iani Philosophi omnes nec minus iis, si paucos iudicio discretivo destitutos exceperis, qui alias principiis Thomasii adhæsere, Deum magis ut Legislatorem quam Nudum Juris Naturæ Doctorem sive Consiliarium concipiunt. Et quare sapientes Deum ita non conciperent, qui se talem in præceptis Decalogi & Legibus forensibus, quas sat multas populo Judaico tulit, manifestavit, quod Thomasius Obs. 27. Tom. 17. fateri deberet. Quo ipso vero Deus satis declaravit, conceptum Legislatoris sive Domini de Deo ejus perfectione plane esse conformem. Nec 2.) verum aut perpetuum est, principem in Legibus humanis quærere utilitatem propriam. Nam bonus princeps communem subditorum utilitatem in omnibus Legibus pro scopo habere debet, nunquam suam unice. Atque quidem si perfectionem Dei consideremus, semper de Legibus Divinis dicendum est, Deum utilitatem hominum non quæsivisse, licet propter imperfectionem humanam in Legibus humanis aliud non raro intendatur. Neque 3.) conceptus sapientis Thomasiani de Deo magis poterit immutare rei Naturam & Legis tollere essentiam ac subditus, qui principem ut patrem venerantibique concipit, ut quoque Romanis mos fuit bonos principes Patres patriæ vocare, efficerre potest, ut iussa ejusmodi principis sint consilia. Hinc et que

æque vana sunt, quæ Thomasius d. Cap. V. §. 42. de metu filiali & servili differit, quia Legis Natura non dependet ab affectu parentis. Sive ergo piis sicut liberi parentibus, ita Dei præceptis tanquam mortis paternis ultiro obediunt, quam ob causam Paulus forsam scripsit, piis Legem non esse scriptam, non quasi revera nulla lex ipsis posita esset, sed quod non opus habeant Legis metuere peccatum, sive vero Deum impius ut Legislatorem & judicem severissimum, malum propter Legis transgressionem inflicturum timeant, utriusque diversus affectus Legis essentiam alterare nequit. Tandem quid de Sapiente Thomasiano, qui Deum sibi ut Legislatorem concipere nequit, habendum sit, verbis B. D. Grati, Theologi celeberrimi, qua sunt in *Dissert. de Peccat. Quesit. 13. §. 2. in fin.*, exprimam: *Qui nullum, inquit, alium Legislatorem quam Supremum Magistratum ultimao agnoscit, nec ullum alium Deum preter illum admittere tenetur.* Hinc idem D. Gratius Sententiam Hobbesianam talenm conceptum foventem Atheismum inferre dicit.

§. III.

Falsa est collectio Thomasi in §. 40. d. I. Jus Naturæ est dictatum rectæ rationis non turbatae a cupiditatibus, ergo est Consilium non Lex. Nam dicitur quidem Jus Naturæ dictatum rectæ rationis per modum cognoscendi, per modum tamen essendi est voluntas supremi DEI hominibus tanquam norma actionum, quam sequi debent, declarata. Unde Jus Naturæ revera Lex est, cum essentia Legis habeat, non Consilium. Et quæ quofo absurdæ & Sacrae Scripturæ repugnantia partim ex concessis Thomasii non seqvuntur, si Jus Naturæ est Consilium. Nam 1.) Thomasius §. 51. L. 1. C. 4. dist, fund. assertit Consilium esse inter pares vel qui solum considerant ut Imperium non habent, quis vero, nisi impius, credi ret, Adamum Deum sibi ut parem vel sâtem ac si Imperium non haberet considerasse? 2.) Consilium secundum Thomasium d. l. §. 52. nolenti & potenti datur, & Consilium dans solum intendit illud persuadere, nec vim cogendi habet, sicut etiam Consilium ex sua Natura, quia ab eo est, qui nec potestatem nec voluntatem præcipiendi habet, meri arbitrii est. Quis vero itidem sine impietatis nota nunc statueret,

A 3

Ad 2.

Adamum accepisse Leges Naturales, ut rationes Summi DEI persuasorias, profetas ab eo, qui potestatem & voluntatem præcipendi non habuit, & liberò ipsius arbitrio relicta, & hinc, iis neglectis, Deum non habere vim cogendi, cum non lenti eligendæ non invito ad sequendas eas fuerint proprie. Atque hec omnia & plura adhuc impia, si Legem Naturalem dicas Consilium, necessario fluunt.

§. IV.

Æque, Philosophum publicationem Juris Naturæ ignorare minus recte asserit Thomasus d. I. ipse §. 33. d. Cap. fatetur *Jus Naturale quorumlibet cordibus esse inscriptum*, quomodo itaque Philosophus publicationem ejus ignorare potest. Neque enim opus ut publicatio fiat voce vel Scriptura, ubi Deus alia ratione justi injustique regulas mentibus humanis infavit. Atq; hanc publicationem Ethnici in animis suis sensere ac agnovere, ut docent eorum Testimonia congesta ab Illustri Dn. Averio in prodr. Jur. Gen. Dissert. 2. §. 16. Verum quid multis? Consilium sine publicatione sive declaratione ei, cui datur, facta non minus esse potest ac Lex. Num vero Thomasius *Jus Naturæ Consilium* dicit, quomodo publicationem sive declarationem *Legis Naturæ* Thomasius ut Philosophus ignorare potest.

§. V.

Absurdum dogma est Thomasii *Obligationem sine Lege esse posse* & inde *Jus Naturæ licet Consilium sit tamen obligare*. Nam omnis obligatio Legem presupponit, & sicut Imperantes sine parentibus, pater sine filio, maritus sine uxore concipi nequeunt; æque Lex & obligatio tanquam relata simul natura esse debent, quod ipse Thomasius in Jurispr. Divina concedere debuit L. 1. Cap. 1. §. 134. 135. & 136. per verba *Obligationem esse non posse, si tollatur superior, qui Legem fert*; Unde recte obligatio in inst. tit. de Obl. princ. per vinculum Juris definitur; consenit Sacra Scriptura Epist. ad Rom. C. VII. v. 9. Quare adhuc magis absconum est, Consilium obligare. Nam repugnat Natura Consilii, quam §. I. expressi. Omnim quoque consensus obligationem in Consilio reprobat & Consilium a libera ejus dependere voluntate, cui datur, nemo non affirmat. Qua potestate

potestate ergo *Thomasi* vim rerum & verborum tollere valet. Intoleranda potius in eo est novitas, quod hic & ubique fere, terminos loquendi antiquos, receptos & notissimos sine ratione rejiciat, & contra communem loquendi usum novos fingat, quos adeo obscuritate sepe involvit, ut non solum litigandi Materiam præbeant, sed quos quoque, si ipsi desuper lis moveatur, in omnes figuris transmutare didicent. Nobis certe æquius videtur, unum potius communem loquendi usum retinere quam omnes ut se unius stylo singulari aspergant expetere. Quare sententiam *Thomasi* dicentis obligationem inesse Consilio rationi æque convenientem ac si dixisset mortuo inesse vitam.

§. VI.

Distinctio obligationis in externam & internam quam tradit L. I. C. IV. §. 6. sicut est mera fictio mentis *Thomasi* ita nec quæ de ejus Natura Cap. V. §. 16. & alibi differit, coherent nec omnino sunt vera. Sic licet nemo sibi ipse a se ipso obligetur, sibi tamen quis externa obligatione obstrictus esse potest, contra ac Dn. *Thomasus* u. §. 16. putat, ubi scilicet vinculum a Legislatore injicitur, quo casu externa obligatio nec duos homines presupponere debet, ut itidem opinatur d. §. 16. Quin aperte sibi contradicunt quando L. I. C. V. §. 25. scribit ex regulis justi oriri obligationem externam. Cum enim Jus Naturæ ex mente Domini *Thomasi* sit Consilium §. 34. C. V. Fund. J. N. & G. quomodo ex regulis justi externa Obligatio nasci potest, cum ea Imperii non Consilii effectus sit, ut adstruit §. 95. & 62. C. IV. L. I. J. N. Fund. adeo nulla sane novæ hujus *Thomasi* doctrinæ est connexio.

§. VII.

Labitur *Thomasi* & periculosis ejus est hypothesis quando Obligationem Juris Nature pro Consilio sumpti citra Legem, ex demonstratione necessarie & naturalis connexionis damnorum infinitiorum cum vita stulta & infiriorum bonorum cum vita sapienti deducit erga Atque obligari afferit. L. I. C. VI. §. 7. & 8. Nam inefficax erit omnis demonstratio Obligationis sine Lege, nec ea ex necessaria connexione naturali malorum cum vita stulta &c. fieri potest,

potest, ita quidem, ut homo eam prius cognoscat, quam
 sensu percipit, & quidem eo minus, quod in hac vita malum
 visibile vitam injustam & inhonestam, nec bonum justam &
 honestam, semper necessario sequatur. Hinc Atheus, in quo
 nullus est sensus illius naturalis & necessariæ connexionis,
 deridebit Obligationem *Thomasi*, quam sine Lege & Superio-
 ri ipsi vult ostendere. Evidet *Dn. Thomasi* L. I. C. VI. §. 21.
 hanc Universalem propositionem tradit, ex qua obligationis
 sue demonstrationem fieri posse autumat: *Facienda esse*, que
 vitam hominum reddunt maxime diuturnam & felicissimam & evitan-
 da que vitam reddunt infelicem & mortem accelerant. Sed haec mi-
 nus generalis proposicio ita comparata est, ut stulti eam de-
 fensioni sue stultitia i.e. vita injusta & inhonestia commo-
 de applicare possint. Nam *Thomasi* explicatio hujus propo-
 sitionis, ut eam §. 29. 32. &c. d. C. VI. tradit, homini sue rationi
 relicto, si cum ipso ratiocinatione sola circa respectum ad Le-
 gem certare quis velit, nunquam persuaderet. Neq; enim
 quisquam hac ratione crederet, quod tamen *Thomasi* stultis
 vult persuadere eum, qui omnium laudem habet, omnium re-
 rum sufficientiam instructus est, & vitam svavissimam sensu per-
 cipit, non vivere laudabiliter nec sufficienter nec svaviter
 quia injusto & inhonesto modo his omnibus fruatur. Econ-
 trario nemo sibi imaginabitur, se in paupertate summa o-
 mnium sufficientiam habere, se in contemptu hominum
 laudabiliter vivere, se inter summas miseras, summa fruicun-
 ditate, quia Juste & Honeste vivit. Etsi vero stoici animam in
 statu quieto inter omnes miseras esse posse statuerint; pra-
 terquam quod ambitione hæc & inanis fuerit Gloria, quam
 contraria praxi ipsi saepius contaminarunt, nunquam tamen
 illas miseras pro jucunditate & svavitate habuere. Ipsi Chris-
 tiani sibi ita in angustiis viventibus temporealem deesse felici-
 tam, ad quam homo naturalis unice adspirat, agnoscent,
 sed eam parum estimant, si vitam futuram perpendant, cu-
 jus cogitatione temporales miseriae quasi dulcescunt. Si quæ
 ergo jucunditas & svavitas ex justa & honesta vita est, ea
 consistet in tranquilla & quieta conscientia, hæc vero unice
 Legis

Legis habet rationem, cuius transgressio, nisi inquietudinem in animis hominum excitaret, animus eorum semper sedatus foret. Quare merito ad firmius principium demonstrandi bonum & vitandi malum morale refugiendum est, quod est Lex DEI Naturalis, sub qua sicut omnes homines sic Athei quoque sunt. Nam et si Athei in Deum rebellis, dum ab negant Deum, etiam Obligationem ad Legem Naturalem in se negabunt, inobedientia tamen ejusmodi Atheorum non magis Jus, quod Deus in omnes homines habet, existimare potest, vel homini Obligationem ad praecerta summi Legislatoris DEI servanda exsurrepare, ac rebellio subditorum adversus Justum Principem vel huic Jus suum adimit vel illos ab Obligatione Principi debita dispensat. Non pauca circa regulas Thomatisi justi honesti & decori jam subratae universali propositioni inadiscutatas notanda essent, sed cum fine fundamento sua sponte cadunt, ad alias novas Thomatisi & erroneas hypotheses transeundum est.

§. VIII.

A vero aliena est iactatio Thomatisi quando in *Proem. Fund. J. N. & Gent.* §. 16. se primum Jus Divinum positivum Universale stabilivisse & primum quoque destruxisse gloriatur. Rabbinorum constans fuit opinio extra Legem Naturae cordibus inscriptam bis humano Generi Jus datum fuisse, hocque esse ejusmodi, quod omne Genus humanum ligat vid. *Seldenu de J. N. & G. L. I. C. IX. X.* Hos secutus *Grotius L. I. C. I. §. 15.* & *Ziglerus ad Grotium* & alii Legem Divinam positivam Universalem dum ante Thomassum agnovere & propugnarunt; nec minus eandem ante ipsum impugnarunt *Osiander in Comm. ad Grot. Obs. 15. p. 242.* quem secutus *Veltben ad Grotium p. 70.* & qui totus id egit *Samuel Coccejus in Resolutionibus dubiorum circa Hypothesin de Principio Juri Naturae contra Ludovicum, Professorem Hall. conf. Brucknerus* qui in peculiari Decisiōne Matrimon. Decis. Jus Divinum destruere conatus est.

§. IX.

Nec verè nec citra impietatem *Thomassus* Jus Divinum positivum Universale, quod per modum promulgationis non

B

per

per institum omnibus hominibus sensum Adamo & Noe patet factum est, ullum dari negavit, & signum esse dixit, quod antea tanto fervore in Diff. de Crim. Bigam. & Jurupr. Divina defensit. Vid. Proxim. Fund. J. N. G. §. 16. Obs. Hall. 27. Tom. 17. Impietatis quidem maculam sibi contraxit, quod plura facta & delicta, quæ Thomasius meritis rationibus naturalibus vetita esse cognoscere non potuit, Juri Divino positivo Universali tamen repugnare concederetur, quod sublatio, eadem hodie licita habere debet, sed de iis in §. 55. seqq. agendum erit. Hic saltem demonstrandum est, minus vere à Thomasio negari, à DEO generi humano Legem datam esse & quidem tam, vi cuius aetatis, qui Jure Naturæ non continentur prohibiti vel praecetti fuerunt. Hæc demonstratio vero commodius fieri nequit, quam ex exemplis Legum Divinarum positivarum Universaliū & remotione eorum, quæ Thomasium in adversum abripiuerent. Exempla occurserunt in §. seqq. Hic saltem sub examen subeat ratio, quæ Thomasium ad negandum Jus Positivum Universale permovit, quam exprimit in Obs. Hall. 27. §. 36. Tom. VI. his verbis: *DEUS jē manifestavit Adamo ut Patrem benignum non ut Dominum & Regem.* Inde concludit Jus Positivum Adamo a DEO non esse datum. Conceptum Sapientis Thomasiani de DEO veritati esse adversum *supra* §. 2. ostensum est. Verum cum ipse ex hoc conceptu etiam Jus Divinum positivum impugnat, non ab reerit paulo prolixius principia, ex quibus contra tenorem Sacrae Scripturæ illud rejicit, examinare. Et quidem Thomasius vidit sibi proprio de DEO conceptui adversari preceptum protoplastis datum de non comedendo de arbore scientiæ boni & mali sub poena mortis. Hinc infidis conjecturis & monstrosa interpretatione Sacrae Scripturæ vim hujus praecetti Divini eludere conatur. Nam 1.) fingit: *Fructum arboris vetitæ fuisse cibum destinatum serpentis, adeo q[uod] in eo fuisse Spiritum concentratum, virtute pollentem, ut produceret sapientiam terrestrem cupiditates terrestres,* inde 2.) astruit hanc Legem fuisse Naturalem & sic monitum paternum ac mortem subsecuturam fuisse malum non arbitriatum sed necessarium §. 38. & 39. Obs. Hall. 27. Tom. VII. Neutrū quisquam, nisi qui inconfingendis

dis paradoxis laudem affectat, calculo dignabitur. Evidem
Thomasius vult nobis persuadere, interpretationem & exposi-
tionem suam fluere ex reguli bone interpretationis, sed *b. m.*
Phil. Paltenius in sub initio all. *Diss. §. fin.*, eam magis ex *Helmon-*
tio, cuius nomen *Thomatio* non invito excidisse, sequi indica-
vit. Nam *Helmontius Medicus* in *Opp. p. 648. n. 6.* hanc paradoxam
fovuit *Sententiam*, præceptum, ne comedas & quocunq; die come-
deris morte morieris, non Legem sed monitionem, non præce-
ptum sed svasum ac optatum esse, ideoque mortem istam ex
pomi esu naturalis admonitam non autem comminataim ex
maledicto, quia juxta ipsum arboris vetite ea fuit proprietas &
effectus, ut suscitaverit pruriginosam concupiscentiam carnis,
ac ideo Adamum ex esu pomi libidinem luxuriandi & con-
sequenter mortalitatem concepisse &c. autumat. Hanc inter-
pretationem aliis modo verbis involvens *Thomasius* suam fecit
seque ejus Autorem venditavit. Huic dogmati affine est *Ber-*
verlandi Jcti spurcissimum figmentum, qui æque luxuriam
carnis pro primo peccato habuit in *Tract. de Peccato Orig.* & in *Lia-*
cubr. Acad. de Jure Stolae Virginitatis. Trigam Virorum facere vo-
luit *Thomasius* se his associando vid. *Diss. Thomasi de Fundam. Defin.*
Causia Matr. hactenus receptorum insufficienia §. 17. p. m. 7. Ean-
dem *Beverland* hypothesis, ut ita quadrigas Virorum hodie ha-
beamus, *Bodinus* idem Professor *Juris Hallensis*, ænulus *Tho-*
masti in proponendis novitatibus ad captandum dissentium au-
ram, licet non pari successu, amplexus est, ut non solum pater
ex ejus *Dissert. de Oblig. For. Juris Divin.* in *Prefat.* ubi dicit: *Cir-*
cumcisio nem in ea parte corporis introductam, que instrumentum primi
peccati præbuit, quam insuper propria experientia scimus, ipsum
non una lectione publica *Beverlandi* lascivam expositionem
Studiose juventuti ut suam vendidisse & commendasse. Ubi
obiter advertimus eundem in iisdem publicis Lectionibus
tanquam Principium *Juris Naturæ* flagitosum illud Sardana-
pali vulgo ejus habiti Autoris (vid. *Apologeticam pro Sard.* in *Obl.*
Hall. 15. Tom. X.) dicterium: *Ede Bibelinde post mortem nulla volu-*
pas, Auditoribus suis proposuisse. Ne vero quis credat me
Viro huic impietatem assingere, en ipse in *Epistola ad Repon-*

dentem subjecta Dissertationi Inaugurali Bodino Preside de Beatitudine
Juridica habita clare suam Beatitudinem in hac caduca vita
 posuit in Principio Ede Bibie Lude post mortem nulla voluptas.
 Saltem expertis, ut hoc disterium secundum genuinum sensum,
 quem sortè vitæ praxi exprimit, intelligatur. An Magis
 impia & scandalosa in ulla Academia doceri possunt, aliorum
 permitto judicio? Interim si alii, qui ita fœdis figuris Sacrae
 Scripturæ vim inferunt, digni videantur, ut idem referant
 præmium, quale Batavi Beverlando dederat, qui, ubi diu
 invinculis causam dixerat, tandem annorum multorum Exilium
 sustinuit his veribus hanc in rem ludentibus Batavis:

HIER LEID DEN HEER VAN BEVERLAND
 GEVANGEN DOOR EN HOGER HAND,
 OM DAT HE ONSE BESTE MOER
 GEMACKT HEFT TOT EEN VOULE HOER.

Mihi magis ipsis apprestandum videtur, ut cum Beverlando
 resipiscant, qui in *admonitione de fornicatione vitanda* & quidem
 in præloquio ad inimicos detestatur adulterinum stylum & ne-
 quiorem sensum Deoque agit grates, quod tandem velamen,
 quo miser cœxit, ab oculis ejus amoverit, nec siverit ipsum
 diutius huic pertinaciæ patrocinia querere absurdiora &c.
 ac in preicatione poenitentiali, que in *fin. all. tr.* extat, humili-
 lime a DFO hujus peccati deprecatur veniam, vid. *Autorum
 neuer Bücher Saal in der XIV. Eröffnung pag. 141.* qui refert e-
 undem mente captum in Anglia obambulare forsan, ut addit
 Autor, Justo DEI judicio. Interim merentur legi preces poenit-
 entias Beverlandi, præsertim ab iis, qui damnata ab ipso hy-
 pothesin resuscitarunt, an forsan earum lectione ad induen-
 dam saniorem mentem commoveri possint. Sed ut redea-
 mus ad præceptum Divinum ipsum, unde paululum aberravimus,
 quod hi quatuor Viri in adeo alienum sensum detorsere.
 Non quidem hoc mei subscelli plane judicatio est, sed ad
 Theologorum sciamna pertinet, unde etiam somnia otiosorum
 horum hominum circa illud solide discussit *Fortischius in
 Diff.*

Diss. de Peccato Originali Jene habita, nostri tamen officii nunc erit, hic nonnullis saltem probare verbis, præceptum de non comedendo fuisse 1.) Legem 2.) positivam. Legem fuisse vix sinuunt dubitare verba Legislationis. Supremus DEUS enim præcepit ei nempe homini subdito dicens, comedere ex omnibus fructibus Paradisi, de ligno autem scientia boni & mali ne comedas, & quocunq; die eomederas, morte mortieris Gen. Cap. II. v. 16. & Cap. III. v. 11. itidem dicit DEUS quia comedisti de ligno, ex quo præcepram, ne comederes &c. item DEUS Cap. III. v. 17. verbo præcipiendo in denuntiatione poenæ utitur. Nefcio an Legis Natura apertius & apertius exprimi potest, quam in hac Legislatione factum est? Præcipere est longe diversum à monere & iudicare, illud enim Legis est, hæc Consilii sunt: deinceps præcepto adjuncta mortis comminatio longe magis feriam Legislatoris voluntatem involvit, quam ut nudam fatem paternam admonitionem significare possit. Atque tandem, si non fuisse Lex, Adamus & Eva non peccassent nec nos in Adamo, nam peccatum non est nisi Legis transgressio, hinc omne peccatum anomia dicitur Job I Epist. Cap. III v. 4. Nam id vaide mihi impunitum & Sacra Scriptura aperte repugnans videretur, quod Helmontius all. L. etra inobedientiam & transgressionem Legis peccatum sibi concipiatur & spretæ monitionis non inobedientiae dicat peccatum primorum parentum. Ex sensu Sacrae Scripturae enim nisi peccatum inobedientiae nullam agnoscamus. Verum ubi certum est, præceptum hoc esse Legem; superest dispeccio an sit naturalis an positiva? prius affirmat Thomasius; sed hic later anguis in herba. Si enim illud concedamus, ex mente Thomasii præceptum hoc erit Consilium non Lex. Sed nititur Thomasius nec verbis nec mente Sacrae Scripturae; saltem unicè interpretatione nemini nisi Helmontio obvia. Ubi enim in Sacra Scriptura exprimitur, cibum arboris vetitæ fuisse destinatum serpenti? ubi dicitur, fructui illius arboris inhæsse concentratum Spiritum virtute pollentem ad excitandas cupiditates terrestres &c. Altum hac de re in tota Scriptura est silentium. Unde erunt hæ fictiones mera Thomasii & Helmontii somnia. Quâ fronte ergo Thomasius

pro certo inde concludere potuit, Legem hanc fuisse Naturalem & quæ cognitam ac Legem de non occidendo. Certius dicendum videtur, ut etiam statuunt orthodoxi, eam fuisse positivam à summo creatore primis parentibus sub sanctione personali promulgatam, ne Dominum à DEO in creaturem accipientes homines sibi illud independens persvaderent, sed hanc ideo ut monitorem haberent, Deum ut creatorem ita & Dominum omnium creaturarum consequenter ipsorum hominum esse. Et denum si Lex Naturalis fuissest, cur Adamo esset publicata? Sensit Thomasius se hoc premi argumento. Inde eius vim per instantiam frangere molitur, dicens, summa capita Legis Naturalis etiam Israëlitis fuisse publicata in decalogo, nec tamen precepta Naturalia esse desississe. Sed quis non videt male consequentiam duci ab Adamo in statu integrō vivente ad Israëlitas in perversis viis jam ambulantes. Nam Adamus iudicio recto, incorrupto, prædictus Leges Naturales citra promulgationem externam quasi in corde scriptas integras & sine sensu fallendi legere poterat. Unde etiam nulla Lex Naturalis, sic ut Lex de non comedendo de arbore vetita, protoplastis promulgata est, quod argumento est certissimo, Legem promulgatam positivam non Naturalem fuisse. Ex iisdem cadunt, quando Thomasius mortem prænuntiatam fuisse malum necessarium non arbitrarum assurit. Merum hoc est Helmontii commentum, cuius castra totus sequitur Thomasius. Scriptura Sacra nobis revelat, Malum poena fuisse, quod propter Malum culpæ, sive si transgredierentur Legem Divinam, primis parentibus DEUS comminatus erat, & sic illud fuisse à voluntate Divina, non necessarium à natura arboris sive ex esu pomi proveniens, sicut hodie mors sequitur ex esu veneni. Neque ergo, ut sequitur ex Thomasii falsa hypothesi, primi parentes mortis necessariam connexionem cum ipso pomi esu nosse potuere, sicut hodie eam cum veneni comeditione connexam scimus, cum cibus iste per se fuerit innocuus. Hoc enim posito sicut nec Legis, sic nec mali, publicatione opus fuissest. Ubi vero malitia hominum naturam per se corruptam indies magis depravavit, ratio humana

ſepiuſ

sæpius aliam ac à cupiditate diflatam Legem agnoscere detrēstat; & si forte homo, stimulante conscientia, vim juris consuetati perfentiscat, affectus tamen perversi intellectui humano facile ei adversum judicium persuadent. Unde summa DEI fuit benignitas, quod præcepta moralia cordibus hominum impressa, tabulis quoque expresserit, quod homo id, quod iustum est, non opinione tantum, cui corrupta natura tenebras astundere solet, teneret, sed oculis quoque cerneret & manu quasi rangeret. Atque ita quidem, enervatis penitus omnibus, quæ Thomasum ad negandum Jus Divinum positivum Universale induxere, constare arbitror, Legem de non comedendo de arbore Scientiæ boni & mali Adamo datam fuisse positivam, sanctione penalí munitam, & consequenter Jus Divinum Universale positivum ideo non destrui, quod Thomasus cum Helmontio suo sibi DEUM ut Legislatorem concipere nequeant. Sed properandum est ad deformes sententias, quas Thomasus, negata Lege Divina positiva Universali, suas fecit.

§. X.

Sic Thomasius præceptum de colendo Sabbatho ad solos Judeos pertinuisse adeoque nulla DEI iustitione Christianos ad culturam certi diei obstringi existimat *Obs. Hall. 27. Tom. VI. §. 44.* Fluit hæc sententia necessariò, postquam Thomasius Jus Divinum positivum Universale negavit. Nam ex Jure Naturæ hoc præceptum Thomasius deducere non potuit; inde ejus fundamentum in Lege DEI Adamo data, quæ extat *Gen. II. v. 2. & 3.* constituere debuit, qui dum universum repræsentavit genus humanum, ideo, ejus obligationem ad omnes pertinere homines, dicendum fuit. Sed hæc omnia negat Thomasius, ubi Jus Divinum Universale rejectit. De moralitate Dierii Sabbathi plena extant volumina. Hinc studio ulteriorem disquisitio nem omittimus.

§. XI.

Uxorem suam voluntatem mariti voluntati ex Lege Di-
vina subjicere debere negat *all. Obs. 27. §. 55. Tom. VI.* In Ju-
risprudentia Divina agnovit præceptum Juris positivi Divini
Universali

Universalis esse, quod Eva *Gen. III. v. 17*, datum est, illudq; omnes
feminas obstringere. Postquam vero illud rejecit, simul obli-
gationem uxorum ad subjiciendum se imperio mariti ex Lege
Divina negare debuit. Præceptum Divinum exinde vult in-
fringere, quod in Hebræo dieatur: *Dominabitur tibi*, in futuro
non imperativo. Verum qui limina Lingvæ Hebraicæ saluta-
vit, ei constabat, futurum ex genio Hebraicæ Lingvæ habere
vix imperativi. Præcepta decalogi v. gr. Non habebis
Deos alienos inconspectu meo, non occides, non mechaberis
&c. quin Leges forenses multæ & cæmoniales Judæis &
DEO datae, quas Thomasius pro veris Legibus agnoscit, per
futurum tempus exprimuntur. Neque tamen quisquam, qui
indolem Lingvæ Hebraicæ callebat, unquam negavit, præcepta
ista veras esse Leges. Miretur ergo quispiam merito, quod
Thomasius hospes in hac Lingvæ, recepta dogmata ex fonte
Hebrææ Lingvæ audeat reformare.

§. XII.

Thomasius summo honestorum animorum scandalo in
Jurispr. Divina L. III. C. II. docuit Rationibus Naturalibus de-
monstrari non posse; Sodomiam, etiam quæ ad bestialitatem
tendit, Juræ Naturæ prohiberi. Hinc argutis rationibus quas
perversa Natura ipsi suggestit, pro ea contra Puffendorfium
pugnavit. Verum nec ullis gentibus, nisi ferina fuerit, mi-
nus Christiano populo hujus delicti feeditas & turpitudo ex
Lumine Naturali ignota fuit. Evidem Casæ Præfuli Bene-
ventano vulgo libellus de Laudibus Sodomia tribui solet, sed
ejusmodi librum nunquam exstitisse, Casæ ob lascivum scri-
bendi genus notabilis defensor *Gundlingius in Obs. Sel. 5. Tom. I.*
ostendit. Non morarum vero quid unus aut alter vel bel-
luarum more forte vivens, vel Justo DEI judicio suæ corruptæ
fationi relictus sentiat, cum fere universi homines animis in-
nata vi horreant hoc nefandum delictum, nec aliam demon-
strationem prohibitionis hujus criminis de Jure Naturæ desi-
derant, quam internum conscientiæ suæ testimonium. Hu-
icquì assensum præbet, ei facile ex parte sufficient rationes,
quas Thomasius instantiis enervare sustinuit. Quibus addi-
potest

potest ratio *Dn. Budei in Elem. Phil. Pract. Part. II. Cap. IV. Sch. X.*
§. 8., qui exinde turpitudinem naturalem sodomiae demonstrat, quod huic delicto sit annexa profusio seminis, partis corporis præstantissime, novæ menti hospitium præbituræ, quæ neutiquam à libero hominis arbitrio dependet. Nobis Bestialitas inspecie contra rationem est, quod humanam quasi exuat naturam, ferinam induens, qui rationalem deferens societatem cum brutis ejus incapacibus commiscendo corpora bruta & naturæ humanae repugnantem arctam conjunctiōinem, ex qua inter conjunctas personas amor ac affectus singularis homini proprio nasci solet, iniure tentat.

§. XIII.

Sed plane impia sententia est, quod Thomasius sodomitam, licet sit bestialitas, quam rationibus naturalibus prohibitum esse demonstrari non posse modo dixerat, nunc, negato Jure Divino positivo Universali, cui eam repugnare concesserat, consequenter contra nullum Jus Divinum, quod Universale quidem est, esse statuat. Neque Thomasius hanc necessariam consequentiam facis diluit, etiamsi in *Fund. Jur. Nat. & Gen. L. III. C. II. §. 2.* scripsiterit, bestialitatem, et si non peccet contra regulas justi, tamen evidentissime repugnare regulis honesti, si clam, decori, si palam fiat. Nam regulæ justi, honesti & decori, quas Thomasius tradit, non innituntur Jure Naturæ, quatenus lex est, quin ex regulis honesti plane jus non oriri, expresse dixit *L. I. C. V. §. 20.* Ergo cum insuper Jus Divinum positivum Universale neget, necessarium est, ut prohibitionem Sodomiae nullo Juris Divini vinculo contineri statuat. Equidem, ut supra indicatum est, Thomasius citra Jus Obligationem ad regulas honesti præsupponit, quam deducit ex connectione malorum cum vita stulta. Verum illa obligatio sine vinculo juris est non ens, nec ulla certa istius connexionis datur demonstratio, si legem removeamus, ut itidem supra demonstratum est. Neque sane capio, quomodo Sodomite, qui revereantur in hac nefaria specie temperanter fruuntur eaque delectatur; vid. *L. I. C. VI. §. 46. Fund. J. N. & G.*, Thomasius demonstrare velit, necessariam mali connectionem cum Sodomia

C

mia

mia ita exercita & sic ejus inhonestatem sive turpitudinem, cuius tamen demonstratio ex Lege Naturali cordibus hominum insita foedum hoc delictum detestante firmius fieri potest. Paucis dicam, Thomasius Sodomiam regulis honesti adeo evidenter contrariam ostendit, ut nullam adducat rationem vim probandi habentem, quod illis facere mos est, qui impias opiniones, quas ipsi sovent, nullis aut sua sponte ruentibus argumentis impugnant.

§. XIV.

Æque contra regulas justi iustique mentibus nostris inditas Polyandriam, qua plures mares uni fœminæ junguntur. Jure Naturæ non esse interdictam fere Thomasius solus in *Diss. de Crim. Big. & Jurispr. Div. L. III. C. II. §. 206.* contra Theologorum Jutorum & Moralistarum omnium consensum; vid. *Puffend. L. VI. C. I. §. 5.*; *Budeus in Elem. Phil. Pract. C. X. §. 8. Sect. X.* defendit. Sed magis adhuc impie eandem, mutata sententia de Jure Divino positivo Universali, cui eam contraria olim dixerat, plane nullo Jure Divino veritatem habet. Nec Thomasius hanc infamem sententiam, que ex negato Jure Divino positivo Universali necessario fluit, à se avertere multum laborat, sed magis invidiam licentiae Polyandriæ his verbis vetat: *Polygamia Muliebris non repugnat regulis iustitiae, sed est saltem parum decoræ & honestæ.* Repeti hic debent, que dicta sunt §. 13., unde constabit, regulas honesti Thomasii nullo contineri Jure. Et quidem hic iis eo minus fidendum erit, dum particula extenuandi parum uitetur. Quare tandem ex principio Thomasii Polygamia Muliebris nullo Jure Divino est prohibita.

§. XV.

Incestum parentum & liberorum Jure Naturæ non vetari erronee Thomasius docuit in *Jurispr. Divina L. III. C. II. §. 225. &c.* Confunduntur enim hoc connubio jura parentum & liberorum, cum tamen diversus liberorum & parentum respectus ipso Jure Naturæ nitatur; vid. *Budeus in Elem. Phil. Pract. Part. I. C. IV. §. 10. Sect. X.* Ne adducam quidem quod à natura quasi hausi-

hausimus aversionem quandam, contra nuptias tam propinqui Sangvinis. Merentur legi verba Senecæ, ut iis contrarium sentientes pudefiant, quæ exstant in *Oed.* 98. Arque si ita esset, quod incestus Jure Naturæ non esset veritus, itidem ex principio Thomassii rejicentis *Jus Divinum positivum Universale*, cui illum adversari antea concederat, hodie ille plane licitus foret. Evidenter *Thomasius in Fund. J. N. & G. §. 37. C. II. L. III.* incestum in linea recta non quidem justi regulis, bene tamen honesti & decori contrariari dixit; tamen cum honestum *Thomassius sine jure ponat*; consequenter opinatur, incestum in linea recta nulla prohiberi Lege Divina. Nec quidem, si retineamus regulas honesti Thomassii, ipse unquam probabit, incestum hunc iis adversari; vid. *notaria* §. 13. & §. 17. Sensit hoc *Thomassius*; inde fassus est §. 49. *Obs.* 27. *Tom. V.* incestum in linea recta non alia fere moralitatis ratione prohiberi, ac sensibus matrimonium contracturis illud interdici debeat. Puffendorius hanc à sensibus ad ascendentis argumentationem jejunam vocat *de J. N. G. L. VI. C. I. §. 32.* Sane ni *Thomassius Leges humanas timuerit*, dubio procul incestum in linea recta omnī Jure Divino, quod quidem extra Judæos alias gentes obligat, licitum esse, apertius defendisset, ex principiis ipsius sicut certò consequitur.

§. XVI.

Porro *Thomassius*, negato Jure Divino positivo Universali, nunc adversus Sacram Scripturam & communem Theologorum orthodoxorum interpretationem capite *Lev. XVII.* contineri Legem forensem Christianos non obligantem, nisi quatenus eodem proponantur Consilia Naturalia *Obs.* 27. *Tom. VI.* §. 49. afferit. Hinc al. §. 49. incestum fratum & sororum & reliquarum propter consanguinitatem vel affinitatem matrimonio jungi prohibitarum personarum muttam conjunctionem saltem Lege Mosaica vetari, cuius obligationem nec ad Christianos nec ad alios homines nisi Judæos pertinere statuit. Cui consequens affruit, quando Moses jussu DEI ad omnes Israëlitas præcepta DEI excelsa voce dicere debuit & inter ea illud quoque, *Maledictus qui concubabit cum sorore sua, si-*

Ia patrii sui vel matris sua, Deut. XXVII. v. 22. hanc maledictionem incestuosos fratres Christianos aut alios haud curare debere, quia Lex Iudeis data alias gentes obligare nequit. Nec tamen Thomatius quā incestum fratribus & sororum sibi plene constat; nam in §. 44. C. III. L. III. *Fund. J. N. G.* honesto naturali repugnare dicit, si princeps incesta fratrum conjugia admitteret; in ali. vero *Ost. 27. §. 49. Tom VI.* nullam turpitudinem naturalem in hujusmodi conjugiis adesse affirmat. Iterum exinde colligi potest, quanta vis regulis Thomatii honesti insit. It certum & compertum mihi est, Thomasium ne quidem ostendere posse incestum fratrum & sororum regulis honesti, quas posuit in *Fund. J. N. G.* obsistere. Nam ex ratione quod fratres & sorores in una educentur domo, quam contra horum conjugia affert, eadem non magis regulis honesti adversa erunt ac aliarum personarum diversi sexus in una domo commorantium, quas sanguis à conjugione haud arcit, connubia, quæ omni Jure sunt licita. Verum unde ergo Universalis obligatio omnes omnino homines obligans hodiernum durans ex Lege prohibente inter certas personas affinitate & consanguinitate invicem iunctas conjugia deduci potest. Haud ignoro Theologos plerumque Legis Naturalis hanc prohibitionem facere Verum *Grotius L. II. C. V. §. 12. n. 1.* de *J. B. B.* vere ait: *Causas certas ac Naturales assignare qui volunt experiendo dissent quam id sit difficile immo prestari non possit.* Sane cum de Obedientia Mandatis DEI praestanda est quæstio, nil interesse putamus, an dicimus, quid præceptum aut prohibitum Jure Divino positivo Universali an Jure Naturæ, cum utriusque obligatio se ad omnes extendat homines. Hinc nemo regre ferre potest, si cum *Grotio* dicamus, conjugia certis consanguinitate & affinitate sibi iunctis personis, extra parentum liberorumque incestum, Jure Divino positivo Universali interdicta esse. Thomasius quidem, qui nullum Jus Divinum positivum Universale amplius agnoscit, maxime in hac specie ejus Legislationem negabit, cum explicita Legis Universalis incestus prohibentis promulgatio in Sacro Codice non occurrat; Ast cum ipse in eo facile meum convenerit, Jure Naturæ

Naturæ illa conjugia non prohiberi, nec mihi erit difficile
ipſi ostendere, eadem Lege Divina positiva Universali esse pro-
hibita. Nam DEUS Lev. XVII. v. 24. 26. 27. ad Israëlitas dixit:
*No polluamini in omnibus illis, quia omnibus illis polluti sunt populi,
quos ego ejiciam; & mox: Ne facite ullam ex iſis rebus abominandis;
nam omnes iſas fecerunt indigena terra iſiu, que vobis exposta eſt, un-
de polluta eſt terra.* Ex his recte Grotius argumentatur: Si Cananæ
eorumq; vicini peccarunt talia faciendo, sequitur, ut Lex aliqua prece-
serit, que dum mere naturalis non sit, restat ut à DEO data sit, aut
ipſi peculiariter (quod non eſt veriſimile nec ſatis ferunt verba) aut
humano generi ſive in prima conſtitutione ſive in reparatione poſt dilu-
vium. Atque hoc tradiſiones Rabbiniſorum conſirmant & ex-
inde quoque fit probabile, quod à pluribus gentibus, cui
Jus Divinum, quod Israëlitis eſt publicatum, non fuit revelatum,
et que tamen incestus (pecies, ſi non omnes, pleraq; tamen, pro-
hibit) fuerint, unde credendum eſt, gentes illas memoriam
Juris poſitivi Divini Universaliſ generi humano dati per tra-
ditionem ab ipſis continuatam conſervasse. Quod vero gens
Cananæ ſua malitia illam Legem Universalem obliterarint vel
non ignoratam obſervandam neglexerint, hinc DEUS iſam
ē terris, quas abominationibus iſis polluerunt, ejicere mi-
natus eſt. Cum nunc hoc jus datum ſit humano generi, prono-
alveo fluit, ad ejus obſervanciam obligationem hodienum in o-
mnibus hominibus durare debere, quia illa nullibi in Novo
Testamento ſublata legitur. Pro regula vero teneri poteſt,
Mandata DEI Universalia eſt durationis perpetuae, niſi DEUS
contrarium alibi declaraverit, quod factum unquam in Jure Di-
vino poſitivo Universali, haſtenus doceri non potuit. Non de-
ſeft Thomasio quæ reponit; ſed talia, quæ refutatione vix
digna ſunt: ſic obtendit, verba Sacræ Scripture adducta interi-
tum genti Cananeæ propter ſcelera minantia reſtringenda eſe
ad præcepta, ſive ex ſtylo Thomati, Consilia Naturalia, quæ in
C. XVIII. Lev. ſimil proponuntur. Verum repugnat Universaliſ
locutio, *Omnibus illis, quæ ſcelera præcedentia in genere includit,*
nullo penitus excepto. Hoc Thomafius ſentiens aliud effugium
quærerit dicens: *Non ſequi hoc vel illud eſt coram DEO abominatio-*

ergo Lege Divina positiva prohibitum. Ast maximè id sequi debere, ubi turpitudo naturalis negatur, quisque sua mente prædictus videbit. Nam abominationis omnis coram DEO quidem causa necessario est transgressio Legis. & hic quidem vel Naturalis vel Legis Divinæ positivæ Universalis, prius Thomasius admittere non vult, ergo posterius amplecti debet. Plura in §. 52. & 53. d. Obs. Hall. contra nos adducit, quæ silentio transmissionis cum quod plane non stringunt tum quod eadem Thomasius in *Jur. Div. L. III. C. VII. §. 140.* somnia Rabbinorum dixerit, quæ omni fundamento destituntur, contextui locisque paralelis contraria, vid. tamen se in notis §. 140. subiectis corrigentem, adeo mutabilis est horas.

§. XVII.

Impium quoque & Machivialisum sapit Consilium Thomasii quod principibus in *Fund. J. N. G. L. III. C. III. §. 45.* suppeditat. Postquam enim in §. precedenti dixerat principem ex ratione prudentiæ conjugia incesta, etiamsi sint licita, tamen superstitionis in Religione permittere non debere, in seq. §. hæc subicit: *Inerim si princeps velit uti dispensatione, ne irritet murmura dissentientium, xat' à d'g' o' r' v' n' poterit distinctione inter conjugium contrahendum & contractum;* facile enim inquit invenient personæ dispensationem desiderantes hominem, cui venalis est benedictio. Primo auditu hujus consilii perversitas ingeritur. Quod si enim dispensatio sit justa, cur Princeps subditos suos decipiendo insuperstitione confirmet? Quare animum clerici personæ conjugandæ pecunias tentent, ut contra conscientiam suam benedictionem vendat &c. Ad Orcum ejusmodi consilia releganda videntur, quæ homines intendunt reddere magis superstitiones & ex bonis efficeret malos.

§. XVIII.

Concubitum sive consortium viri & foeminae sine affectione maritali, ut cunque placuerit, dissoluble, modo habeant finem procreandi sobolem, omni Jure Divino & sic hodie inter Christianos esse licitum itidem ex mutata de Jure Divino positivo Universali, cui adversari in Jurispr. Div. defenderat, sententia necessario fluit. Et hic quidem Thomasius in *Fund. J. N. G.*

N. G. L. III. C. II. §. 17. verbo dixit, conjunctionem ad tempus licet diuturnum repugnare regulis honesti & decori. Sed ha-
stenus regulis honesti Thomae parum tribuimus, quam fidere
ipse iis habendam velit, declaravit in *Dissert. de Concubinatu*, in
qua concubinatum, uti eum initio §. posuimus, quem in *Fun-
damen. J. N. & G.* regulis honesti repugnare afferuit, nunc pla-
ne licitum defendit. Primus qui Thomasum restitutus fuit
Dn. Breithaupt, qui ei opposuit *Dissert. de Concubinatu à CHRISTO*
& *Apostolis prohibito*, in qua concubinatum primæ vœ matri-
monii institutioni *Gen. II. v. 22, 23. & 24.* repugnare, eandem
Christum utpote Optimum Legis Divinae interpretarem *Matth. XIX. v. 5. 6. 7. 8.* declarasse & confirmasse probat. Dno. Breit-
haupt quidem personatus scriptor *s. Petrus Enerastus* per mo-
dum Epistole ad ipsum respondit: sed ad adducta contra con-
cubinatum Sacrae Scriptura loca nihil, quod quidem momen-
ti habet, reposuit, nisi quod putet lucem tenebris, id est,
perversam Thomasii sententiam sanæ Breithaupti doctrinæ i-
ta conciliari posse, ut Thomasus quidem *Dn. Breithauptio* con-
cedat, perfectioni Christianismi concubinatum repugnare, ut
tamen Breithaupt cum eo iterum consentiat, illum non ma-
gis adversari ac divortium propter adulterium. Certus sum
Dn. Breithaupt communionem hæc concordie viâ factam
nunquam admiratur sed potius damnaturum esse, cum salva
veritate hanc societatem inire nequeat. Nam cum divortiu-
m propter adulterium à CHRISTO sit approbatum, ideo,
licet maritus non peccet, si ex causa de jure suo remittat adul-
teriumque retineat, neutiquam tamen perfectioni Christianis-
mī aduersum agit, qui ad voluntatem CHRISTI se ab adul-
tera jejungi petit, vid. omnino *C. I. II. IV. VI. Q. 1. Caus. 32.* E
contrario concubinatus à CHRISTO ubi omnino damnatur,
sine peccato mortali in eo vivere Christianus non poterit. Sed
haec ulterius discirienda Dominis Theologis relinquo. Vid.
Jägeri, Prof. Tub. Diss. de Concubinatu, cui opposita *confutatio* sub-
lavrato nomine *Marci Pauli Antonini, &c.*

§. XIX.

Divertia præter adulterium & malitiosam desertionem,
verbi

verbi gratia propter sterilitatem aut etiam ex mutuo dissensu, fieri posse nulloque Jure Divino vetari, itidem statuere necessum habuit, postquam Jus Divinum positivum Universale negavit; vid. *Fund. J. N. G. L. III. C. II.* §. 18. juncta *Jur. Div. L. III. C. II.* a §. 131. usque ad 138. Securius sequimur communem receptamque Theologorum sententiam licentiam divertendi extra divertium & desertionem malitiam Juri Divino & praecepto CHRISTI primavam Matrimonii institutionem declarantis adversari; vid. *Gen. V. v. 2.* *Matth. XIX. v. 5.* *Eph. V. v. 31.* &c.

§. XX.

Lupanaria esse toleranda ad evitandum majus malum in regionibus calidioribus, in septentrionalibus vero vix prudenter Magistratum tolerare Thomasi pro fana est Sententia Fund. J. N. G. L. III. C. III. §. 38. Hoc ipso denno declarat, regulis suis honesti, nullam in esse vim obligandi sed eas variare, & pro ut utilitas svadet, mutationi esse obnoxias; vid. *L. I. C. V. §. 47. d. ir.* Nam *L. III. C. II. §. 23.* modo dixerat scortationem regulis honesti repugnare, nunc vero publicam scortationem certis locis tolerandam esse, principibus svadet. Verum si scortari est malum & peccatum, princeps, salva conscientia, scienter publica lupanaria tolerare nequit, etiamensi centies intentionem habeat, permissionis lupanaribus, majus avertendi malum. Nam regula illa communis, ex duobus malis minus esse eligendum, non procedit in moralibus, ubi hoc magis brocardum obtinet, non esse faciendum malum, ut inde eveniat bonum. Nec Thomasi distinctio inter tolerantem & perpetrantem rem conficit. Nam neuter in malum morale, licet minus sit, consenti redebet, sed majus & minus impedire uterque tenetur, quantum in ipsis est. Qui vero tolerat lupanaria delictum suo consensu committit, cuius reatum intentio majus avertendi malum nullo modo excludere potest, & quidem eò minus, quod incertum sit, an institutis lupanaribus, majora mala evitabuntur, cuius contrarium exemplum Italia nobis dare potest, velan, nullis institutis, majus malum perpetrabitur, & si forsan ejus non vanus subsit metus, alias & licitus obex metu-

metuendo huic malo objiciendus est. Scilicet crescentibus delictis, crescant poenae, quo earum metu sensuque homines a gravioribus delictis deterreantur. Admoneantur Christiani, ut adhibitis regulis Christianissimi, quæ in orando & jejunii consistunt, lasciviam suam supprimant. Sin, hac Medicina frustra præscripta, nil minus majora committantur delicta, principi, quo invito nec delictis connivente, admittuntur, nulla ratione imputari possunt, cum ab omni mali labecula longe ab eo impedit non posse, ne majora fiant mala. Ea ute-
tem nos facere non possumus, quæ contra jus & bonos mo-
res sunt.

§. XXI.

Nec minus demum graviter errat Thomasius negans, Le-
gem de homicida capitaliter plectendo, quæ exstat *Gen. IX. v. 6.*
esse Legem positivam Universalem in *Fund. J. N. G. L. III. C. VII.*
§. 2., unde porro statuit, determinationem poenæ dolosi ho-
micii & circa determinatam dispensationem a libero prin-
cipum dependere arbitrio; vid. *Dn. Thomas. de Jure Aggrati-
andi principis Evangelici in causis Homic.* Antea contrarium sta-
tuit, ut patet ex *Juriprud. Divina L. III. C. VII. §. 134.* Verum
postquam Thomasius *Jus Divinum positivum universale re-
jecit*; simul necessum habuit novam illam assumere hypothe-
sin. Sed exsequentur hanc materiam paulo profluentius, &
qua esse potest brevitate, Thomasi rationes, quibus dictum
Gen. IX. 6. vult eludere, perpendimus, ipsum in *Fundam.* suis
presso pede sequuturi. Tres ibi adducit rationes, quas in *all.*
Differ. §. 4. repetit. Prima est, in *textu Hebraico esse futurum ef-
fundetur, non imperativum.* Jam ante Thomasium ex malo intel-
lectu verborum effundetur & ego reposcam quidam ex grege Fa-
naticorum statueré, verba *Gen.* continere combinationem
Divinam & eventum futurum, quatenus homicida vicissim
maestabitur ex permisso DEI forsitan ab alio, non ibi constitui
& ordinari a DEO lectum hominum genus, qui vindices sint
homicidii. Ad dubitationem ex voce effundetur abunde respon-
sum est ad *§. II.*, quæ hic sunt repetenda. Evidem *Thomasi-*
in Differ. C. IV. §. 4. regerit, non sequi, quod futurum ponatur.

tur pro imperativo; ergo hic ita intelligi debere, cum alter sensus quoque admitti possit. Sed dicimus, in præceptis Divinis necessario futurum pro imperativo accipi debere, cum hoc requirat natura legis. Deinde, quod dissentientes effundetur de occulto judicio DEI per alium homicidam in homicidam exercendo accipiant, ab intentione DEI sanctissima hoc præceptum Noachio dantis abhorrire videtur & contraria experientia refellitur. Nec Thomasius præsidium in Jure Naturæ invenit. Elumbis enim ejus ratiocinatio est; Princeps habet jus dispensandi ex Jure Naturæ circa Leges humanas, ergo præceptum Divinum non est habendum pro Lege; quasi DEUS juri dispensandi principi circa Leges humanas competenti suam potestatem Leges ferendi Divinas alligasset. Nam alias hanc principum potestatem esse infra Leges Divinas, ex Jure Naturæ constat. Neque enim homo potest dispensare circa id, quod DEUS iussit. Longe magis ergo Juri Naturæ accommoda est hæc interpretatio, quod Deus, cum pena capitalis naturali æquitate, juxta quam quis idem merito patitur, quod alium pati voluit, sit fundata; vid. Diff. Illustris Henr. Cocceji de Sacro-Sancto Jure talionis, eam homicidis inferendi necessitatem Legis Positiva hominibus imponere voluerit. Tandem illa in humanis Legibus authentica est interpretatio, quæ ab eo proficiscitur, qui eam tulit. Hinc æque in hoc præcepto declaratio hujus Legis à DEO Israëlitis facta nobis legalis esse debet. DEUS vero non semel serio Israëlitis præcepit, ut tollant eum, qui occidit hominem ut Lev. XXIV. v. 21. & Deus. XIX. v. 10. & 13, ibi, non parcer oculus tuus super homicida & præprimis Num. XXXV. v. 30. & 31, ibi, terram non posse prius expiari propter effusum sanguinem innocentem, usq; dum illum effundentis Sanguis iterum effusus sit. Licer alias non temere dixerim, leges forenses Judæis das Christianos obligare, cum tamen lex Israëlitis data de homicida capitaliter plectendo non tam nova sit lex, quam ejus, quæ extat Gen. IX. v. 6., confirmatoria, vere dicimus, hanc declaratoria n, particulari quidem populo factam, nobis tamen in locum Israëlis succedentibus authenticam esse debere; & sic principes obligari capitaliter plecti homicidas; non tam, quod

quod ratio diversitatis, cur apud nos minus homicidæ ex voluntate Divina ac apud Judæos capite plectendi essent, reddi non possit, quam quod lex declarata citra interpretationem Israëlitis datam omnes homines obstringat. Alterum dubium, quod nasci solet ex verbo ego *reposam* tolli potest, si verba illa ad genuinum sensum interpretemur, scilicet, cum DEUS hominibus serio præcipere vellet, homicidæ capite puniendum esse, ne, neglecta hac lege, maleferiati sibi impunita homicidia persaderent, quasi prædicti, etiam si homicida evadat humanam vindictam, ego tamen repofcam sanguinem innocentem, incognito nobis judicio. Sectunda ratio Thomasii in Fund. & Diff. all. dd. LL. est, quod dictum Gen. continet saltem rationatiocinem confirmantem præceptum de non comedendo sanguine bestiarum. Sed Thomasius cuncta agere ac vere solitus, hic quoq[ue] sensum Sacrae Scripturæ pervertit. Nam potius invertendum ac dicendum est, DEUM eum sanguinis bestiarum interdixisse, ne homines eum comedendo ferinam induant naturam & humanum sanguinem fitire incipient, quasi DEUS diceret, vel ideo jubeo, ut abstineatis a sanguine animalium, ne eum edendo esterati ad appetendum sanguinem humanum reddamini. Nam si Medicis sit fides habenda, brutorum sanguis gravis & terrestris naturam sui animalis habet, & cum omnes animalis actiones potissimum sanguinis caloris nativi & Spirituum beneficio perficiantur, ideo, illo ab homine assumpto, multas in eo induci mutationes putant, ut vel generatim bestiarum feritatem vel alicuius bestiæ mores exprimat; vid. Sennert. Inst. L. 2. p. 3. C. VII. infin. Quæ si ita se habeant præceptum de non comedendo sanguine bestiarum contineret rationem confirmantem præceptum de non occidendo, munitum insuper capitali poena. Tertia demum ratio Thomasii est, quod nondum fuerit res publica & nullus magistratus Fund. J. N. G. & Diff. all. dd. LL. Hæc ratio præcipue B. Phil. Palatinum commovisse videretur, quod in eandem sententiam proponderit, ut patet ex Diff. ejus de Jur. Princ. circa Leges præcipue penales. Verum licet statim post diluvium non tam amplæ & in ea eminenti forma, ut nunc existunt, Respublicæ fuerint, cum ra-


men eadem ante diluvium dubio procul exsisterint, valde probabile est, speciem cuiusdam Reip. homines statim post diluvium iterum habuisse & Noachum Majorem patrem, ejus fuisse Praesidem. Id ad minimum constat, societas conjugales, paternas, familiamque jam fuisse. Ex quo tempore vero societas fuit, ex eo quoque viros fuisse, qui jus dicerent controversiasque determinarent, credendum est, cum societas sine Lege & Jure nulla esse possit. Quod si judiciorum species fuerit, sive Reipublicarum sive societatis nomen, ceteri post diluvium tribus, omni casu reliqua societatis membra ultimam poenam a DEO homicidis insigendam preceptam in reum homicidii statuere & exequi potuere & vi Divini precepti debuere. Equidem *Patenius* all. l. opinatur, neminem affirmaturum Noah & per eum patribus fam. jus vita necisq; in homicidas attributum esse. Sed quidni? omnes, qui negant, erudit, dari tempus, quo iudicia cesserunt, id affirmabunt; vid. *Tzmarum ad Grot. L. I. C. II. §. 5. L. 1.* Et quae si respiciamus ad iura patrum fam. quae proxime sequentibus temporibus exercuerunt & dubio procul a majoribus tradita accepere, non ne Abraham, qui ut paterfamilias saltem considerari potest, bello injurias propulsavit? Non ne Judas paterfamilias jus vitae & necis exercere voluit, dum Thamarem propter stuprum comburendam esse statuit? Quare ubi *Gen. XXXVI. v. 15.* Moses in singulis Esavi familiis principes nominat, per eos, præcipue primis familie initia, patres fam. intelligere viderunt. Non opus ergo, hoc admissum, cum *Grotio L. I. C. II. §. 5. n. 5.* & alii sentire, Deum cunctis bonis & innoxiiis jus dedisse necem fraude interfecisti hominis uicisciendi & homicidam perimendi, illudque vero postea summas ob causas ad judices solos restriktum esse. Denique si verum ponamus, nondum fuisse Remp., nec tamen inde sequitur, quod, iis constitutis, homicidae non debeant capitaliter puniri. Nam DEUS hanc Legem Noacho instauratori generis humani & ejus liberis, ex quibus reliqui homines usque ad hodiernum diem originem traxerunt, dedit; unde liquet, ejus obligationem ad universum pertinere genus humanum. Quare et si vindicta humana ob paucitatem hominum aut quod

non-

tronum fuisset Resp. tunc per modum Jurisdictionis sumi non potuisset; tamen, iisdem constitutis, Principes voluntati Divinae de capitaliter plectendo homicida generi humano & sic sibi significatae obsequi debere; cum possunt, mili quidem compertum videtur. Quia propter, destrutis momentis Thomasi, nos quidem nefas ducimus principi, quando cædes facta est, que mortem meretur, circa pœnam, à DEO Lege generi humano data preceptam, dispensare. Atque hanc sententiam præ Thomasi opinione esse amplectendam, sic quidem aperte iis quoque, qui partibus Thomasi adhærent, persuadere possumus. Patentur dissentientes, sanguinem ejus, qui innocentem effudit, iterum effundi æquitati naturali convenire. Inficias ire nequeunt, ex voluntate Divina promulgata Gen. IX. v. 6. homicidas juste capite puniri posse, & hodiendum propterea sicut principi, ne, nisi raro, jure aggratiandi utatur. Quod reliquum est, an possit aggratiari princeps, versamur in questio-ne dubia. Numero & autoritate vincunt, qui plane illicitum habent, pauciores, vel intempestiva misericordia, vel novandi omnia affectu vel, ponamus demum unum, amore veritatis id permisum putant. Certitudinem conscientie hi habere nequeunt, cum sensus dicti Gen. dependeat ab interpretatione voluntatis Divinae. Suorum verborum quilibet est optimus interpres; sed in alterius voluntate exponenda prudentissimi falli possunt. Quidni ergo falli possentij, qui contra adeo multas prægnantes rationes pluribus probatas negant, voluntatem Dei Noacho significatam de effundendo sanguine ejus, qui innocentem effudit, esse legem hodiendum obligantem? Nunc vero in dubio semper tutior pars est eligenda. Jam princeps ex confessione dissentientium recte dolosus homicidis nullum jus aggratiandi largitur, è contra ex plerorumque opinione citra peccatum illud ulli doloso homicida concedere nequit. Quare merito princeps in eam sententiam indinare debet, quam si amplectitur, in conscientia sua ex omnium omnino, si exceptis fanaticis, consensu tutus esse potest. Non possumus ergo accedere ad partes Hannekenii Theologi, qui fere ex orthodoxis solus, jus gratiae in reos noxæ capitalis propter homicidiu

dium vindicavit ex ratione, quod sublata vis Divinæ Legis, mutatusque rigos in gratiam sub Regno CHRISTI gratioſo, cutes tamen dubia diluit Rechenbergius in Diff. de Jure Principiū Christiani aggrariandi circa homicidium negotio; prodiit quoq; perfonatus ſcriptor ſub nomine Justiniani Clementiu in Tract. German. Ad. 1698. quem citat Thomasius in Diff. de Jure Aggrat. & Dominus Budeus in ſua Theologia Morali p. 2, C. IV, §. 33. Hic statuit, poenam iſtam rationem typi habuisse & iſtud etiam ſcelus Sangvine CHRISTI ſuo tempore effundendo expiandum significare, quo facto non decere, ut faltem vere poenitentes homicidæ, quam reſtrictio nem Thomasius ægre fert all. Diff. p. 8. quorum reatum ſuo Sangvine Salvator ſuſtulit, hodie juxta rigorem Legis Moiaice occiduntur. Nobis ejusmodi hypothefes affinitatem habere videntur cum ſententia Photini & aliorum in genere supplicium capitale interdictum foedere novo ſentientium, ſed ji reſutantur à Paulo Rom. XIII. v. 4. Apoc. XIII. v. 10. Latius ex ſpatiari poſſemus, ſed, dum centurijs ſcribere licet, una & vi ginti poſitiones nobis ſufficere viſe ſunt ad demonſtrandum Domini Thomasii mutabile ingenium & indicandas partim ve ritatem, partim pietatem lēdentes hypothefes. Viri cætera Doctiſſimi ingentem ubique eruditioñis ſuę plauſum habi turi, ſi orthodoxæ candidius litaret & novis opinionibus à S. Scripturæ tramite non leviter reſilientibus ſubactum ingenium oſtendere deſineret. Nunc concludimus Diff. verbiſ & voto Reverendissimi Domini Job. Wolfg. Jägeri in ſ. fin. Diff. de Concu binatu: Ecquid optandum eſt, ut magni illuſtres Viri ejusmodi coniroverſias non moverent, bi prefertum temporibus, cum tanta Epicureorum eſt multitudine, quibus vi grauius quodpiam quam quidem de ejusmodi rebus, quas oportant, licetis annuciari poterit Evangelium &c. & mox addit' e' autem, qui ſcandalo ſunt aliis; In eorum recidet caput, quod predixit Dominus ejusmodi hominibus.

F I N I S.



(x228 2796)



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-125803-p0048-1

DFG



3
1715 28

INDEX

NONNULLARUM ERRONEA- RUM DOCTRINARUM

*EX
DOMINI THOMASII
FUNDAM. JUR. NAT.
ET GENT.
MAGNA EX PARTE SELECTARUM.*


QVEM
PRÆS IDE
PHIL. BALTH. GERDES,
JR. LIC. ET REGIÆ GRYPH. ACAD. PROF. HI-
STOR. ET MORAL. ORDIN.

PUBLICO EXAMINI PROPONIT

IN
AUDITORIO MAJORI
AD D. XI. APRIL. ANNO MDCCXV.

H. C.

RESPONDENS
JOHANN JACOB ALMER,
CANDID. MINIST. EXAM.



GRYPHISWALDÆ,
TYPIS CAROLI HOEPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.